



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

13. Cap. De respectu humano.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](#)

exercitio stabilire. Ad id hortatur nos S. Petrus Apostolus. Saragite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electiorem faciatis.

Itaque non est quod turbemur, aut angamur hoc prædestinationis puncto : sed, cum illa in nostra etiam sit potestate, tantummodo oportet nos omni curâ, omnique contentione in id unum incumbere, ut in virtutum exercitio continuum faciamus progressum.

## C A P V T. XIII.

*De respectu humano.*

**P**Arvi refert, quid homines de te dicant vel sentiant ; illorum verba, atque opinio neque meliorem facient te, neque deteriorem. Talis es, qualis es coram Deo. Interroga conscientiam tuam, eique fidem habe.

Permitte æquo animo, ut *Michol* te excludat ; tu interea cum *Davide* coram Arcâ Domini reverenter salta. Sine hominibus, quidquid lubet, effutire, interim fac sedulò, quod te facere oportet.

Nunquam tam multa dicere poterunt quin plura possis audire : una illis tantummodo est lingua, tibi vero duas sunt aures.

Silentium

Silentium tuum illos rubore suffundet:  
tua in benè cœptis ad finem perducendis  
constantia tandem illos obmōtescere co-  
get, vel fateri, te laude dignum; atque  
agere te, quod rationi consonum est,  
plusque apud te valere timorem Dei,  
quam hominum. *Qui timet hominem, cito  
corruerit*, ait *Salomon*.

Nunquam tibi erit male (totus in te  
mundus insurgat licet) si divinæ te ex in-  
tegro subjeceris voluntati. Hâc viâ Che-  
rubini, & Seraphini maximam in cœlo  
consecuti sunt gloriam.

Quo magis Deo se quis subdit, eique  
obtemperat, hoc majorem in rebus om-  
nibus inveniet animi pacem, & tranquilli-  
tatem.

Nihil omnino exigit à nobis Deus,  
præterquam id, quod rectum & rationi  
consentaneum est; at homines illud in-  
terdum postulant, quod perversum est,  
& quod rationi planè repugnat.

Deus immutabilis est; homines mutan-  
tur in horas: nunc hoc volunt, nunc il-  
lud; hodie amabunt te, cras odio habe-  
bunt; hâc te horâ laudabunt, alterâ con-  
temnent.

Magnâ fruius pace, qui nec laudem  
hominum curat, nec contemptum, quique

VERITATES  
omnes eorum vituperationes flocci facit.

Intuentur homines vultum ; at Deus animum. Homines opera considerant, quæ foris apparent ; sed Deus inspicit cor, & appendit intentionem.

Rerum , quas agis , rationem hominibus reddere non debes : hominum non est judicare te , neque opera tua remunerari ; hæc soli Deo competunt .

Attamen & parentibus , & moderato-ribus , & ijs , qui à confessionibus tibi sunt , tanquam ipsi C H R I S T O , mo-rem gerere te oportet in omnibus , quæ divinis legibus non adversantur .

**N**ulli mortalium obtemperare licet , dum quid imperat vel petit , quod Deo repugnat : satius enim esset , totum inter mundum insurgere , quam Sanctissimam ejus à te contemni , aut etiam negligi vo-luntatem .

Stude igitur potius placere Deo , quam hominibus . Hoc enim longè prestat . Nam , ut S. Paulus ait , *Si hominibus placarem , Christi servus non essem .*

#### CAPVT. XIV.

*Non est , quod erubescamus Christum imitari*

**H**onor nobis ducimus , dum Regi aut magni principis gestamus insig-nia